

voce clara chirographum firmaverunt super Urbanum, Castorium et Juvenalem presbyteros hi: Humanus, Capuanus, Castorius, Innocentius, Audax, Homophonus, Petrus, Quiriacus, Herculanus, Serenus, Johannes, Nepotianus, Cyprianus, Corporanus, Eusebius, Castinus, Victor, Matthæus, Spesindeo, Virus, Vincomalus, Collecticius, Valentinus, Priscillianus, Julianus, Lucianus, Castorius; et diacones isti: Hermes, Xystus, Petrus. Subscripserunt autem in damnationem horum quinque Urbani, Castorii et Juvenalis presbyterorum, et Gaii et Innocentii diaconorum.

15. In sinu autem trecentorum episcoporum caput cinere convolutus Marcellinus episcopus Urbis voce clara clamans dicebat: Peccavi coram vobis, et non possum in ordine esse sacerdotum: quoniam avarus me corrupti (corrupti) auro. Subscripserunt autem in ejus damnationem, et damnaverunt eum extra civitatem. Sacerdos nomine Helciadis episcopus subscripsit primus in ejus damnationem, non tantum

A tempore quod exigebat ordo, sed etiam futuri temporis. Quod etiam et ipse voce clara dicebat: « Juste ore suo condemnatus est, et ore suo anathema suscepit maranata: quoniam ore suo condemnatus est. Nemo enim umquam judicavit pontificem, nec presuli sacerdotem suum: quoniam prima sedes non judicabitur a quoquam. » Hoc autem audito, Diocletianus, dum esset in bello Persarum, audivit quod trecenti episcopi et triginta presbyteri et tres diacones in condemnationem convenirent. Dum subscripsissent omnes, ipse omnium primus manu sua propria Marcellinus conclusit in suum anathema, anathemati subscribens. Iratus autem Diocletianus in eandem civitatem misit, et multos episcopos ad martyrii coronam traxit. Factum est autem nihil aliud, dum B primo damnati fuissent tres presbyteri et duo diacones damnati. Damnatus autem et Marcellinus episcopus suo judicio x Kalendas Septembris Diocletiano VIII et Maximiano VII.

#### ANNOTATIONES.

*Chirographum firmaverunt.* Duo mss. chirographum firmum: deinde ex iis unus, Urbanum, Castorium, Juvenalem presbyterorum horum, alter, Urbani, Castorii, etc.

*Futuri temporis.* Addidit corrector, in exemplum: quod satis arridet. Observat vir eruditus, saltem postquam se ipse Marcellinus damnasset, synodi muneris fuisse, ut Romanæ ecclesiæ, ne diutius sacerdote destitueretur, prospiceret. Nihil tamen de alio in locum Marcellini subrogando actum: ac nullum ei subrogatum esse constat.

*In condemnationem.* Unus ms. in eandem damnatio-

nem. Alter, in ejus damnationem. Colb. in eo damnationem: unde restituendum duximus in condemnationem. Superiora autem verba, dum esset in bello Persarum, notat Baronius falsa esse, cum hoc anno xx imperii sui Diocletianus se imperio abdicavit, atque ante biennium de Persis superatis Romæ una cum Maximiano collega suo triumphum egisset. Putat igitur hæc et quæ sequuntur non esse ex actis concilii, sed eis postmodum in morem appendicis esse adjecta. Verum omnes codices, qui superiora exhibent, exhibent et ista. Neque mirum est auctorem, qui in tot aliis cespitat, etiam hæc in re labi.

## SANCTUS MARCELLUS PAPA.

### § 1. — Quando et quamdiu sederit.

Post Marcellini obitum, ut ei successor deligere-  
tur persecutionis tempestas non permisit. in Bucheriano catalogo Romana sedes tum vacasse dicitur vii annis, mensibus vi, diebus xxv. Sed ibi pro annis vii, Bucherius legendum esse opinatur annis iii, eamque correctionem necessario postulant consules quibus Marcellus pontificatum iniisse in eodem catalogo notatur. Et facile quidem pro apice i, nota numerica v irrepit. Unde sequitur, ut Marcellus anno 308, Maii xix die, quæ in feriam sextam cadebat, fuerit ordinatus. Tempus vero, quo is papa Ecclesiam administravit, laudatus catalogus sic designat: « Marcellus anno uno, mensibus vii, diebus xx, a consulatu x (supple Herculi) et Maximiano (leg. Maximiani vii), usque post consulatum x et vii, » hoc est usque in annum sequentem, qui post consulatum x (Herculi) et septimum (Maximiani) notabatur. Sed neque ex his quo die obierit, confici certo potest. Pagius, ad Marcellum papam referens quod in Hieronymiano

Martyrologio die vii octobris offendit; « Romæ via Appia depositio Marcelli et Marci episcopi, » illum anno 309, Octobris vii die ad cælum migrasse pro certo ponit. Sed Marcellum « via Salaria, » non « via Appia » depositum seu sepultum esse certius est. Sane in eodem Martyrologio ad diem xvi Januarii extat, « Romæ via Salaria in cœmeterio Priscillæ depositio Marcelli episcopi et confessoris. » Huic concinit Pontificalis liber Bollandianus ex codice reginæ Suecorum descriptus, in quo de Marcello scribitur, « Sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria, xvi Kalendas Februarii. » Ibi enim mendose ac forte librarii lapsu xvi pro xvii haberi colligimus ex altero ejusdem libri exemplari olim Fossatensi, nunc Colbertino, in quo « xvii Kalendas februarii, » non xvi, legimus. Immo Marcelli depositionem die xv Januarii notat Bucherianus depositionis Romanorum episcoporum indiculus in hunc modum: « xviii Kalendas februarii Marcellini in Priscillæ. » Huc quippe Marcellini nomen loco Marcelli irrepisse manifestum est. Neque vero insolens est duorum illorum voca-

bulorum confusio. Inde enim contigisse videtur, ut A Eusebius Marcelli nusquam meminerit, et in Chronico Eusebium papam, veluti proximum Marcellini successorem memorarit. Quocirca standum censemus eorum auctoritati monumentorum, quæ Marcelli mortem mense Januario consignant. Cum hac quidem mortis Marcelli epocha componi prorsus nequit, quod Bucheriano in catalogo de tempore quo iste papa rexit Ecclesiam habetur. Sed apte quadrabunt omnia, si in eodem catalogo ita legerimus: « Marcellus anno uno, mensibus vii, diebus xxvii, a consulari x Herculli et Maximiani vii, usque ii (scilicet anno) post consulatum x et vii. » Et Marcelli quidem pontificatum ad secundum annum post decimum Herculli consulatum, hoc est ad annum Christi 310, prorogari necessario postulat id quod idem Bucherianus catalogus de hujus papæ successoribus subjicit.

§ II. — *De constantia Marcelli in servanda pœnitentiæ disciplina.*

1. Exstat de S. Marcello Damasi papæ carmen a Baronio ad annum 309, n. 7, editum, et inter alia Damasi opera, Parisiis, anno 1672, typis Lud. Billaine, cum notis M. Milesii Sarrazanii, pag. 175 et alibi recusum, dignum sane quod et hic locum habeat; maxime cum ex eo quis Marcelli circa pœnitentiam animus fuerit, perspicuum sit. Ita se habet.

DE SANCTO MARCELLO MARTYRE

DAMASI PAPÆ CARMEN.

Veridicus rector, lapsus quia crimina flere  
Prædixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.  
Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia, lites,  
Seditio, caedes; solvuntur foedera pacis.  
Crimen ob alterius Christum qui in pace negavit,  
Finibus expulsus patriæ est (Scil. Marcellus) feritate  
[tyranni (Maxentii)].  
Hæc breviter Damasus voluit comperta referre,  
Marcelli ut populus meritum cognoscere posset.

2. Virum illum, cujus ob crimen Marcellus in exilium deportatus dicitur, probabile est eundem esse, cujus factione etiam Marcelli successor, Eusebius, eadem pœna mulctatus est, qui in carmine de mox dicto sancto præsule infra exscribendo Heraclius nuncupatur. Pœnitentiæ videlicet remedium etsi necessarium lapsis, acerbum tamen et amarum est: ideoque semper aliquos offendit, qui et illud respuerent, et pios pastores, a quibus nihil sibi sperarent remittendum, velut molestos et infestos hostes haberent. Horum importunitati pridem D clerus Romanus post Fabiani mortem minime cendum ratus est. Iisdem fortiter et constanter resistenti Cypriano, ne tam necessaria disciplina labefactaretur, multa a factiosis fuerunt sustinenda. Tandem Marcellus omnia experiri, quam tantum malum permittere maluit. Neque ejus exilio deterritus est Eusebius, quominus quam decessor defenderat pœnitentiæ causam ac disciplinam, invicto animo propugnaret. Uterque merito appelletur martyr justitiæ, quam videlicet Deo negant, qui postquam illum peccando offenderunt, ei digne per pœnitentiam satisfacere detrectant.

3. Tradit quidem Eusebius lib. viii, cap. 14,

A Maxentium tyrannidis arreptæ principio fidei nostræ professionem simulasse. Sed cum simulata hujusmodi professione nil repugnat duorum pontificum relegatio. Cum enim ideo fidem nostram profiteri se simularet, ut placeret blandireturque p. pulo Romano, facile adductus est ut ex Urbe duos pelleret præsules, cum hoc populo gratum et acceptum fore, Heraclio persuadente, comperisset. Neque vero ad eos persequendos tum fidei causa, sed severitas nimia, quæ seditionum origo esset, prætexebatur. Hinc Heraclium apud Maxentium gratia plurimum potuisse conjectura est, ex eoque exstitisse gregesemichristianorum, quibus abundant principum domus, qui christiano cum nomine sæculi delicias componere amant; et cum peccare non timeant, horrent prorsus pœnitentiæ labores, eosque a se procul eliminari volunt.

§ III. — *De decreto quod Marcello adscribitur, ubi de usu quo pueros monasteriis parentes offerebant, dicitur.*

1. Apud Gratianum, 20, quæst. 1, c. 10, et exinde in editionibus Conciliorum, Marcelli nomine insignitum est hoc decretum: « Illud autem statuendum esse censemus, ut si minori ætate filii monasterio oblatis fuerint, vel sacram tonsuram vel velamina suscepserint, dignum quidem duximus, ut decimo quinto anno a prælatis moniti, verbis inquirantur, utrum in ipso habitu permanere cupiant, an non. Si vero permanere professi fuerint, ulterius pœnitendi (Hoc est, habitum mutandi et ad sæculum revertendi), » locum minime C amplecti possunt. Si vero ad sæcularem habitum reverti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur: quia satis inutile est, ut coacta servitia Domino præstentur. » Labbeus vero notat, ab auctore Glossæ apud Gratianum Martino tribui, ejusque temporibus magis convênire.

2. Obscurum certe non est hoc decretum ad ea pertinere tempora, quibus de illo usu derogari cœpit, qui jam pridem obinebat, videlicet ut pueris, postquam monasteriis a parentibus fuissent oblatis, propositum deserere, et ad sæculum regredi nefas esset. Hunc autem usum apud Græcos numquam receptum esse colligitur tum ex his Theodori, Cantuariensis archiepiscopi (*Spicil.*, to. ix, p. 62): « Basilius judicavi pueris licentiam (*leg. licere*) nubere ante sexdecim annos, si abstinere non potuerint, quamvis monachi fuissent, tum ex ipsis Basilii verbis in *Regulis* fusius disputatis, interrog. 15, et in *Brevioribus*.

3. At usum illum in Occidente asserit Benedictina Regula, cap. 59, eamque firmant non modo Isidori, Magistri, et aliorum Regulæ, sed et plurium conciliorum tum in Gallia, tum in Hispania aut Germania habitorum, ac summorum pontificum decreta. His præiverat Ecclesiæ mos, Siricii Zosimique decretis stabilitus, quo filios ab infantia sacræ cleri militiæ consecrare, et lectorum officio dicare fas erat, necnon usus qui ab incunabulis Ecclesiæ constanter obtinuit, ut nimirum baptizarentur infantes, atque exinde christianis legibus ita tenerentur, « ut non

impune desererent majores » (verba sunt concilii A Toletani viii, can. 7), « quod parvuli vel nesciendo vel nolendo perceperant. » Et hoc quidem exemplo mox dictum concilium evincit eos, qui, « aut eventu necessitatum aut metu periculorum adepti fuerant ecclesiasticarum officia dignitatum. « Horum officiorum legibus obligari, licet « cum illis hæc imponerentur, id sibi fieri noluisse testarentur. » Quocirca concilium Aurelianense v, anno 549 habitum, can. 19, et Matisconense i, anno 584, can. 12, puellas, « seu propria voluntate monasterium expetant, « seu a parentibus offerantur, » si « aut voluntarie aut parentibus suis rogantibus religionem professæ vel benedictionem consecræ, postea ad conjugium aut illecebras sæculi » transierint, communionem privant. Anno 635, can. 49, Toletanum iv, concilium edixit : « Monachum aut B paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnem ad sæculum interdicimus regressum. » Idem decretum firmavit, anno 656, Toletanum x concilium, can. 6, atque illustravit his verbis : « Si in qualibet minori ætate, vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem in utroque sexu filiis aut unus aut ambo parentes dederint, certe aut nolentibus vel nescientibus se susceptam, non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram ecclesia, palamque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem reverti habitum ipsis filiis quandoque penitus non licebit. » Gregorius II, anno 726, a Bonifacio Moguntino interrogatus : C « Si pater vel mater filium vel filiam intra septa monasterii in infantia annis sub regulari tradiderint disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis impleverint annos, egredi et matrimonio copulari, » haud dubius respondet : « Hoc omnino devitamus, quia nefas est, ut oblati a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur. » Verum ex hac Bonifacii interrogatione discimus, saltem nonnullis duram jam videri cœpisse illam legem. Nihilo tamen minus eam in Germania ad annum 868 viguisse liquet ex Moguntiacensis concilii, hoc anno Ludovici pii jussu habiti, canone 22, quo sancitur : « Si pater et mater filiam filiamque intra septa monasterii in infantia annis sub regulari tradiderint disciplina; non liceat eis, postquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi et D matrimonio copulari. » Quæ verba ad propositam Bonifacii quæstionem omnino sunt accommodata. Prosequitur exinde concilium : « Igitur non liceat eis susceptum habitum unquam deserere : sed convicti quod tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, in religionis cultu habituque, velint nolint, permanere cogantur. » Et hæc rursus expressa sunt ex canone 6 Toletani x concilii, tantum his verbis canonis, « ad religionis cultum habitumque revocentur, et sub æterna (seu strenua) districtione hujusmodi observantiæ inservire cogantur, » nonnihil mutatis, ut mutandi habitus potestas sublata planius enuntiaretur. Tum idem concilium, can. 23, renovat

ac proprium sibi facit laudatum Toletani iv concilii statutum, quod sic effert : « Monachum ergo aut paterna devotio aut propria devotio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnes ad sæculum interdicimus regressus. »

4. Quamobrem cum Capitulare Aquisgranense anni 817, c. 36, statuit, « Ut puerum pater et mater tempore oblationis offerant ad altare, et petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse confirmet, » hæc postrema clausula majoris cautionis ergo addita censenda est, non quasi puero maturiori ætate jam facto parentum oblationem irritam facere liberum esset. Eo quidem sæculo Gotthescaleus, ut ex opusculo Rabani a Mabilonio nostro, to. ii Annal. Bened., pag. 726 et seqq. edito colligitur, parentum, a quibus puer oblati monasterio fuerat, voto refragatus est : verum non ea utebatur ratione, quia puer tum et impos sui erat, sed quia hoc parentes ejus coram idoneis testibus minime præstiterant, et cum ipsis, utpote Saxonibus, avita lege « nisi de propria sua esse gente testis posset, alienos adhibuerant. »

5. Circa idem tempus, ut in epistola Nicolai I, apud Gratianum, 20, quæst. 3, cap. 4, et Ivonem, p. 6, c. 356, legitur, Lambertus quidam ab Athone patre suo inter octavum et undecimum annum cucullam induit, a prædicto pontifice, ut et a monastica vitæ degendæ obligatione absolveretur, et ne paterna vel materna hæreditate fraudaretur, petens, non id causatus est : quia paterna oblatione teneri non posset, sed : quia « absque patris oblatione vel abbatis percepta benedictione monastico habitu indutus » fuerat ; id pariter testante ipsius patre, quia « Neque ego, paterejus, palla altaris, « ut Benedictina Regula præcipit, « indutum illum obtuli, neque a quocumque sacerdote vel abbate, ut mos deposcit, benedictione percepta, regulæ unquam subactus est : » adeoque neque oblati dici aut existimari debuit. Eadem ratione S. Bernardus, epist. 1, ad Robertum nepotem, qui inter diversas suæ a Cisterciensibus ad Cluniacenses defectionis causas, hanc afferebat : quod Cluniacensibus a parentibus suis oblati fuerat, usus est in hunc modum : « Quamquam dubium non sit promissum illum fuisse, non donatum; nec enim petitio, quam Regula præcipit, pro eo facta fuit a parentibus, nec manus illius cum ipsa petitione involuta palla altaris, ut sic offerretur coram testibus. » Quamvis autem Nicolaus I, in judicio de Lamberti causa prolato, nequaquam existimare se rescribat, « Lambertum debere sub tali violentia fieri monachum, » quia « quod quis non elegit, nec optat, profecto non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit : » tamen aliquanto post Rabanus istarum oblationum morem opusculo apud Mabilonium, ut superius dictum est, in lucem edito acriter propugnavit. Et quidem, anno 895, concilium Triburiense, can. 16, constituit : « Quem progenitores ad monasterium tradiderunt, et in ecclesia cœperit cantare et legere, nec uxorem ducere, nec mona-

sterium deserere poterit. Sed si discesserit, reducat; si tonsuram dimiserit, rursus tondeatur; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur. »

6. Eundem morem ad sæculum XII, perseverasse, cum ex epistola Bernardi superius laudata, tum ex epistola Siberti ad Rodulfum abbatem sancti Trudonis, qui hoc sæculo florebat, necnon ex ea quam idem abbas rescripsit, perspicuum est (*Decret. Gregorii IX, lib. III, tit. 31, cap. 11 et 12*). Ipsi etiam sæculo illo desinente obsequendum esse censuerunt Alexander III et Clemens III. Tandem horum successor Cælestinus, de puero quem ante discretionis annos pater suus fecerat habitum monachalem suscipere, interrogatus, respondet (*Ibid., c. 14*): « Si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, et habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus; quia tum liberum sibi erit eum dimittere, et bona paterna, quæ sibi ex successione proveniunt, postulare. »

7. Ea tamen lex jam antea nonnullis in locis antiquari cœperat. Et Nicolao quidem I, ut supra audivimus, durior visa erat, et libertatem, quam huiusmodi status electio desiderat, lædere. Nec alia de causa Bonifacius Moguntinus antea Gregorium II sibi de illa consulendum duxerat. Postmodum vero Cluniacenses quoddam ei temperamentum videntur adhibuisse. Horum quippe consuetudines ante medium sæculum X describens S. Udalricus lib. III, c. 8, relata puerorum oblatione ejusque ritu, proxime subji-

cit: « Postea induitur (puer) cuculla, et de cætero benedictio ejus differtur usque ad legitimam ætatem, id est, si non amplius, vel usque ad QUINDECIM ANNOS. » Eundem morem innuere videtur et Clemens III, loco jam citato, ubi puellæ, ante discretionis annos a parentibus monasterio traditæ ad sæculum revertendi aditum penitus interdicens, istam interdicti hujus rationem adjicit: « Non enim videtur illa monasticæ professionis a se posse jugum excutere, cum eam non constet evidenter contradixisse, cum benedictionem accepit, quam nonnisi in ætate discretionis recipiunt quæ velantur, præsertim si ratihabitione secuta, etsi eam quandoque contradixisse constiterit, roboratur. » Tria quippe complectitur hæc ratio: 1<sup>o</sup> puellas benedici non consuevisse, nisi cum ad ætatem discretionis pervenissent; deinde, eis tunc benedictioni huiusmodi contradicendi potestatem fuisse; postremo, contradicentibus aditum ad sæculi regressum patuisse.

8. Porro ex omnibus testimoniis quæ colligere aut videre nobis hac de re licuit, nullum est, quod cum decreto nostro magis consentiat, quam quod ex consuetudinibus Cluniacensium protulimus. Quare illud ad exitum sæculi noni aut initium decimi referre licet. Aut etiam serius est differendum, si benedictio, quam Cluniacensium consuetudines ætate legitima præcipiunt, instituta sit, ut puer jam sui compos ratam faceret atque confirmaret parentum oblationem, non ut optio ei daretur repetendi sæculum.

## SANCTUS EUSEBIUS PAPA.

### § I. — Quando et quamdiu sederit.

Eusebius in pluribus pontificalis libri exemplaribus annos VI, mensem I, dies III, in aliis annos II, mensem I, dies XXV, sedisse dicitur. Eum Eusebius Cæsariensis episcopus in Chronico septem mensibus Ecclesiam administrasse scribit. De hoc papa istud tantum in Bucheriano catalogo habemus: « Eusebius menses IV, dies XVI, a XIV Kalendas Maias ad XVII Kalendas Septembris. » In quo sibi non cohæret iste catalogus, cum a XIV Kalendas Maias ad XVI Kalendas Septembres quatuor dumtaxat menses uno die minus interjiciantur. Ab eo etiam dissidet Bucherianus depositionis Romanorum pontificum catalogus, in quo legitur: « VI Kalendas Octobris Eusebii in Callisti. » Unde Eusebium Septembris XXVI die in Callisti cœmeterio depositum fuisse discimus. Et huic quidem indiculo martyrologia vetera et plures libri pontificalis codices suffragantur. Quare suspicio est

librarium, qui Bucherianum catalogum descripsit, pro « VI Kal. Octobris » per oscitantiam scripsisse « XVI Kal. Septembris, » addita videlicet de suo nota numerica X et « Septembris, » ut vicini mensis vocabulo, quod interdum accidit, « Octobris » loco substituto. Quocirca doctus Tillemontius laudato indiculo aliisque monumentis eidem suffragantibus standum existimans, ac menses quatuor et sexdecim dies, qui Bucheriano in catalogo Eusebii pontificatui adscribuntur, retinens, hunc papam X Maii die, anni 310, creatum, et eodem anno XXVI Septembris die ad vitam meliorem migrasse censet. Sane chronologi peritiores Eusebium nonnisi anno 310 regimen Ecclesiæ suscepisse, atque ante Septembris exitum obliisse consentiunt. Unde hunc papam nullo Decembri mense vixisse conficitur. Quæ igitur habenda fides seu Bollandiano libri pontificalis codici, in quo tres ei ordinationes per mensem Decembrem attribuuntur, seu alii, in quibus unam eodem mense fecisse narratur?